

A Sed missa hæc faciamus, quoniam alia indigent consideratione. ¶ Placet nobis ad aliud venire, quoniam quid in presentia de Zozimo non opus est disputare. ¶ Igitur ad exponendum Basilium (si lubet) redeas. ¶ Magnus ipse Basilius, P. amp. illud, filio spiritus adaptat, exponens (inquit) quod post filium & cum ipso percipit. Quæ namque connumerant, non possunt uno verbo proferri atque disponi. Verum necesse est ut alter post alter proferat, ac numeret: Si quidem igitur spiritus adaptari filio dicit, fieri profecto non potest, ut aliter intelligat, quod post filium disponat, non ita tamen, ut ab eo tanquam causa esse habeat, ac dependeat. Propterea Basilius ipse subiunxit, quod post filium & cum ipso percipit. Tria autem, P. R. vnde habes, ut quod alicui adaptet, ac post ipsum disponat, id etiam, sit necesse, ut ab eodem esse habeat, & dependeat. Nobis sane non alia opus est expositione, quoniam quidem is Basilius seipsum exposuisse videt, quod verbi, adaptat, causam ilico reddit, dicens, quod simul cum ipso percipitur.

¶ Si quidem igitur, P. R. illud, filio spiritus adaptat, a te sic exponitur, ut spiritus ad filium disponatur, ac ordinetur, quæro ex te, an ipsa dispositio, sanctique spiritus ad filium ordo, sit causa extrinseca: vel principium a quo? ¶ Non equidem protuli spiritum ad filium, verum post filium disponitur. Necesse est enim, ut in diuinis ordo numerandi seruetur: ita ut filium post patrem, spiritus vero post filium numeretur. ¶ Talem igitur enumerationis ordinem, tantum vocalem esse putas: ita ut re ipsa nullis in diuinis sit ordo? ¶ Necesse est, P. R. ut diuinæ personæ quæ

B tur, quod quidem modo quodam realis est, ut idem magnus Basilius demonstrat: dum dicit, solus vni genitus ex ingenito lumine respundet, ubi filii ad patrem dispositionem ac ordinem ostendit. Vnde sane necessario euenit, ut sanctus spiritus tertius in ordine numeretur, ne ad filium ordinatus, vel filio (ut supra dictum est) adaptatus, ad patrem vero immediate relatus, ipse quoque filius esse videretur. Quoniam igitur sanctus spiritus post patrem cum filio continuo numeratur, idcirco tertius a patre disponitur, atque collocatur, quod quidem solum dispositionis & ordinis genus in diuinis creditur esse, cum aliud apud theologos nequaquam inueniatur. ¶ Ex magni Basilius sententia, P. R. profiteris inter filium ac sanctum spiritum ordinem esse naturæ. Vtrum igitur inter patrem & filium idem est ordo, an aliud dispositionis ordinisve genus inter ipsos existit? quoniam quidem mihi sentire videris, illud, adaptari, atque disponi, causam non significare. Porro quoniam inter patrem & filium ordo naturæ re ipsa dicitur esse, certa significans dependentiam, idcirco necesse est, sentiamus, filium a patre, ut a causa, re dependere. Vnde euenit, ut quoniam inter filium & sanctum spiritum idem ordo naturæ creditur esse, ideo necesse sit, filium sancti spiritus causam esse, quæ admodum magnus Basilius in eodem contra Eunomiæ libro testatur: ubi probat spiritum eiusdem esse naturæ cum patre & filio, quibus ordine ac dignitate secundus a filio sit, quem admodum (inquit) filium ordine quidem a patre secundus est, quoniam ab illo, & dignitate, quoniam origo & causa existendi patris ipsi est, & quoniam per ipsum accessus & adductio ad deum patrem, natura vero nullo modo secundus, quod in utroque una deitas est, ita etiam sanctus spiritus, & si dignitate ac ordine secundus a filio est, non tamen verisimiliter aliena ipsum esse naturæ inde cõsequitur. Quibus verbis probatum est, sanctum spiritum eundem ordinem ad filium habere, quæ filius ad patrem habere credit. Quod angelorum exemplo idem Basilius ostendit continuo, Angeli omnes (inquit) ut appellationis vnus, sic eiusdem sunt naturæ inter se: at tamen, alij ipsorum preponderantia sunt, alij vero fidelium singulos cõsequuntur. Quæ autem gens vni viro preponderantia est, tanto maiorem necesse est angeli, quod gentis principatum habeat, esse dignitatem, dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est. Et infra, Quorsum hæc oratio? quod non omnino (inquit) si quod ordine ac dignitate secundum aut tertium est, id & naturam alteram habet. Nam quem admodum angelorum alij principes, alij subditi, & tamen omnes angelorum natura sunt, & in dignitate quædam diuersitas, in natura vero cõitas est, etenim stella stellæ præstat in gloria, & natura stellæ: oim vnæ: & mansiones multæ apud patrem, id est dignitatum diuersitates, glorificatorum vero vna naturæ: sic profecto & spiritus sanctus dignitate quidem & ordine secundus est. Accepimus enim ipsum tertium a patre & filio numeratum, cum ipse dominus in traditione, salutaris baptismatis ordinem tradiderit, his verbis: Eantes baptizate in nomine patris & filij & spiritus sancti: in natura autem tertium a filio ac patre deiectionem spiritum nullibi audiuimus. Hæc magnus Basilius. Qui quidem nil aliud in ipso tertio in Eunomium libro concludere voluit, quod sanctum spiritum eiusdem esse naturæ cum patre ac filio, quamuis in ordine, ac dignitate tertius sit, quod quidem angelorum exemplo, multisque rationibus clare probasse videtur.

Mar.
Iohan.
Mar,

Iohan.

Mar.

Iohan.
Mar,

Iohan;

1. Cor. 12. f
Iohan. 1. 4. a.

Matth. 28. c